Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 919
Quelle:
Copyright:

quasi Autoris ἐπιφωνημα. Quin et Decastichon inde *Isidori* nomine citari videas a *Guidone Perpinianensi* O. Carm. Scriptore Sec. XIV. in *Summa de Haeresib. Paris.* 1528. *fol.* 58. p. 2. f. At vero primus illam *e Cod.* ut ait, *ms.* publici juris fecit *Joh. Tamayus Salazar* in *Anamnesi SS. Hispanorum* T. II. *Lugd.* 1652. ad diem IV. *April.* p. 488. f. Distichis XXXII. inscriptam: *Incipit Titulus Bibliothecæ a D. Isidoro editus.* Aliud Exemplar nactus Distichor. LI. *Lud. Ant. Muratorius* produxit *Anecd.* T. II. p. 208. quod *Henr. Floresius* inseruit T. IX. *de la España Sagrada, Madr.* 1752. p. 376. 4. adjecitque aliud Distichor. XXXIV. e *Cod. Reg. Matritensi* eodem insignitum Titulo. Specimen aliud Distichor. XLVI. in *Germania*, nescio ubi, repertum ad calcem L. XV. *Biblioth. med. Lat.* impressit *J. Alb. Fabricius.* Audio denique repraesentatam hanc *Elegiam*, seu, si mavis, hos *Titulos* in novissima *Opp. Isidori* Editione *Matrit.* 1778. T. II. *Append.* p. 67. quae cum ad manum non sit, dicere non possum, an illi a Curatoribus aliquid opis medicae accesserit, quod quidem Editorum, quos enumeravi, nemo sibi sumsit. Perturbatus enim in eorum Exemplis ordo, omissa hinc inde non pauca, alia mendose scripta, carminis leges non raro violatae, quod postremum tamen rectius fortasse ad ipsum Autorem, quam ad Librarios retuleris. Id quod non eo dictum velim, quasi nullis *Codex* noster laboret vitiis, nam et *Titulis*, qui certe lucis aliquid adfundunt, interstinctus non est, et toto illo *Titulo*, qui *Scriptorii* et *ad Interventiorem* (Interventorem) insignitur et Distichis V. constat, caret, ut *Fabricianus*, sed, quod rectiore procedat ordine, et quaedam sincerius legat, in quibusdam conjectori faveat. Trifariam porro divisum est Poemation in *Titulos* seu Inscriptiones *Bibliothecae*, *Pigmentarii* sive Penus Aromatum, Unguentorum &c. et *Scriptorii*, sive Musei Librariorum. Lustremus primum Bibliothecam. *Heic gemmæ radiant — legis*, melius Codex noster *Geminę;* est enim sermo de V. et N. Testamento. *Ille Origenes ego* &c. Fors legendum: *Ille ego sum Origenes.* Omittunt omnes:

Quem primum fidei gratia clara dedit.
Celsus eram meritis et clarus copia fandi,

praeter *Guidonem supracit.* et Nostrum; legit vero *Guido:*

Qui primum fidei grammata clara dedi,

et *munere fandi* pro *copia.* Item *voce nocente rui* pro *lingua*, quod habet Noster cum aliis. Ultimum demum de *Origene* versum optime *Guido:*

His